

IX.

Angels 1-26

XII

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE
GONORRHOEA,

QUAM
AVCTORITATE ET CONSENSU
INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA,
PRAESIDE

DN. D. HIERONYMO LVDOLF,

CHTMIAE ET MATHES. PROF. PVBL. FACVLT. PHIL. ET MED. ASSESS. ORD.
ET CIVIT. ERFORD. PHTSICO,

PATRONO AC FAVTORE SVO SVMME
VENERANDO,

PRO GRADV DOCTORIS
SUMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS
ATQVE IMMVNITATIBVS,
MORE RITVQVE MAJORVM, SOLENNITER
ADIPISCENDIS,

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVIGATIONI SVEMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS

JO. BALTHASAR MVSCVLVS,
SERVSIO ALSATA.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS
HOR. CONSVET.

DIE III. APRILIS, MDCC LI.

ERFORDIAE

Typis JO. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

240

12

GEORGIA
FACULTAS MEDICAE
DAVID THORNTON
PRO GRADU DOCTORIS
JOHANNES MYSZCZAK

5001 + W 4291



PROOEMIUM.

Quæris forte caussam, B. L. cur ex amplissimo Medicinæ campo hanc materiam sumserim pertractandam? in promptu est ratio: hoc morbo correpti non modo frequenter adeunt Medicos, consilium atque auxilium rationale exposcentes; ita ut Medici sit, legitimam huic morbo medendi methodum scire; sed etiam improvide atque incongrue tractati, gravissima valetudinis incurrunt pericula, de quibus in ipsa tractatione uberius dicemus. Faxit Deus, omnis salutis fons, ut hic labor in maximi nominis sui gloriam, & proximi salutem cedat ac commodum. Tu vero, B. L. vale & fave conatibus nostris!

A 2

TO-

TOTIVS TRACTATIONIS SYNOPSIS.

§. I. Gonorrhœa in genere definitur. §. II. Divisio. §. III. Differentia. §. IV. Locus affectus. §. V. Benigna causa. §. VI. Maligna rationes in medium afferuntur. §. VII. Benigna. §. VIII. Maligna signa ostendit. §. IX. Subjecta. §. X. Utriusque symptomata prodit. §. XI. Benigna. §. XII. Maligna prognosin docet. §. XIII. Benigna. §. XIV. Maligna dietam præscribit. §. XV. Benigna curam pharmaceuticam. §. XVI. Scorbutica melalem. §. XVII - XIX. Maligna therapiam exponunt. §. XX. Quid de febre symptomata. §. XXI. Quid de luo, §. XXII. quid de bubone supervenientibus statuendum, enumerant. §. XXIII. Remedia nociva, §. XXIV. & XXV. eorum variorum methodorum divulgant. §. XXVI. Transiunt ad methodum chirurgicam continet, & de venesectione in benigna agit. §. XXVII. Benigna ulteriorem tractationem chirurgicam ostendit. §. XXVIII. De injectionibus. §. XXIX. De inunctionibus. §. XXX. De epithematibus. §. XXXI. De balneis in benigna agunt. §. XXXII. Maligna tractationem chirurgicam, §. XXXIII. ejus injectiones profert. §. XXXIV. Quo modo carunculis medendum sit, tradit, & §. XXXV. universæ tractationi imponit finem.

§. I.

Definitio
gonorrhœa.

Gonorrhœa in genere est liquidi feminalis ex urethra profluvium involuntarium & fere perpetuum. Definitum descendit a γόνι genitura & πῶ fluo.

§. II.

Ejus divisio.

In benignam gonorrhœa dividitur atque malignam. Benigna est liquoris feminalis citra voluptatem penisque erectionem continuus fere effluxus. Virulenta est ejusdem liquidi sed putridi foetidique per genitalia excretio.

Obfer-

Observatio: Dantur casus, ubi per multos menses hæc excretio leniter procedit, sine urinæ ardore aut alio molesto sensu, ubi etiam materia colore insigniter non mutata, neque adverso odore prædita est, hæc medium quasi locum benignam inter ac malignam occupat. Datur quoque gonorrhœa catarrhalis, quæ corpus a variis malis v. c. ulceribus liberat.

§. III.

A pollutione diurna atque nocturna distinguitur *Differentia* gonorrhœa benigna, illæ enim sunt feminis prolifici cum delectamento penisque erectione interdum vel noctu contingens involuntarium profluvium. conf. Dn. D. SCHWENKE *diff. de pollutione.*

§. IV.

Sedem suam gonorrhœa benigna in vasis habet *Locus affectus.* feminalibus nimium relaxatis, sed maligna non in vesiculis feminalibus & prostaticis, sed in ipsa urethra, imprimis ejus vasculis, lacunis & glandulis. Hujus rei demonstratio sumitur primo a situ loci affecti, nam miasma non ad partem urethræ posteriorem pervenit, nulla causa impellente præsentem & copia miasmatis exigua atque fixioris indolis existente. Dein a carunculis ab exulceratione in dicto canali relictis. Tertio a liquore putrido profluente, penis retro glandem compressione facta. Post ea ab injectionibus, quibus solis gonorrhœæ interdum medela affertur, siphone non ultra dimidium urethræ canalem replente, cum primis propter urethræ incurvaturam circa ossa pubis. Insuper a dolore retro penis glandem ut plurimum percepto; qui dolor sub lotii emissionem sentitur, glande penis incurvata.

SCHOL. I. Miasma hoc fixioris esse indolis, vel exinde apparet, quod impurus fluxus sæpe annum & quod excurrit, perdurat, antequam ipsa venerea lues provenire possit?

SCHOL. II. Temporis tractu prostrata cum vesiculis seminalibus & vesicæ collo ab hoc contagio quoque inficiuntur, imprimis si foetidus liquor ab improvido injectionum & intempestivo adstringentium usu repressus, vel sua sponte obdormientibus relapsus.

§. V.

*Benigna
causæ.*

Quoniam diversæ indolis utraque gonorrhœa est; diversas etiam agnoscit causas. Benigna a nimia venere, & inde veniente vasorum seminalium laxitate oritur, abundantia humorum serosorum acrimonia stimulantium nec non affectibus chronicis calculum suum conferentibus. Hinc imprimis homines corripere solet sub lauta, vinosâ, salita & aromatica diæta, præsertim æstivo tempore sub æstu ingente. Nonnunquam & in scorbuticis, arthriticis, catarrhosis oboriri solet. Simplex gonorrhœa etiam aliquando a calculo proritatur. Ad eam quoque non parum conferunt vectio curru, & æquitatio frequens.

§. VI.

*Virulenta
causæ*

Virulenta a concubitu cum infecta persona contrahitur, dum exhalans ex infecto sinu miasma penis & urethræ substantiam glanduloso-spongiosam ingreditur, inflammat, erodit, exulcerat & crebriorem sordidi liquoris effluxum proritat. Hæ igitur fruges a scortorum sectatoribus in impuro veneris agro colliguntur. Igitur tantum non unica causa occasionalis impurus est coitus; licet id sedulo dissimulent hoc morbo

bo

bo correpti: nam infectio per vestimenta, lectos &c. alias potius inquisitiones scabiosas, ulcerosas, verrucosas, urentes & crustaceam excoriationem formantes concitat.

§. VII.

Benigna gonorrhœa cognoscitur ex liquoris seminalis albidus nunc tenuis nunc viscidiusculi ex urethra stillicidio, qui membrum virile humectans, indusium albicantibus vel flavescens, in subjectis scilicet cholericis, maculis conspurcat. In lotio materia seminalis sub guttularum forma fundum appetit. Ejusmodi semen omnis odoris expers esse solet. Hoc morbo correpti etiam virium decremento laborant, oculi sunt tenebricosi & livido circumdati circulo, facies pallet, & artuum urget lassitudo.

§. VIII.

Virulenti feminis fluxus dignoscitur ex materia putrida, foetida plus vel minus acris, mox flava, mox viridi vel livida ex urethra, citra voluptatem, copiose effluente, & indusium simili colore commaculante. Præputium ardore vel prorsus inflammatione occupatur, qui ardor sub emissionem urinæ ad penis radicem sese extendit. Urethra nodis vel vesiculis obsidetur. Interdum acris materia ipsam erodit glandem, inflammat & post fissuras, in membro ulcera apostematodea producit. Infecti hi etiam de artuum lassitudine conqueruntur, ob humorum jacturam, oculorum quoque livor & faciei pallor præsto est. Lotium admodum crassum emitti ab ægrotis solet. Semper contagium venereum

reum præcessit, si igitur infecti id ultro fatentur, morbus dijudicatu facilior.

§. IX.

*Benigna &
virulenta
subjecta.*

Benigna plurimum illos occupat homines qui venere abutuntur, sive id fiat turpi masturbatione vel cum femina congressu nimio. Inter ea tamen innocentius aliquando evenit, ubi atonia partium aliunde inducta est. conf. §. V. Virulentæ vix alia sunt, quam quæ venereis inquinamentis sese commacularunt.

§. X.

*Utriusque
symptomata.*

Benignæ nonnulla symptomata jam in explicandis signis §. VII. enarrata sunt, iis adde ob nimiam lymphæ jacturam, actionum animalium torporem, virium decrementum, lipopsychiam, quid? quod interdum febrem lentam. Quæ fluxum malignum concomitantur symptomata, hæc sunt: dolor & ardor atrox penis, lumborum ut & pubis, ob consensum nervorum; qui dolor cum erectione penis ut plurimum post nonnullas hebdomades cessare solet. Fluxui assiduo superveniunt lassitudo corporis ejusque extenuatio. Nonnunquam huic malo ferociter sævienti symptomatica accedit febris, quæ boni eventus esse solet; nam impedit, quo minus ægrotus lue venerea corripatur. De oculis tenebrosos, lividos, de aspectu faciei pallido sub signis §. VIII. jam dictum.

§. XI.

*Prognosis
gonorrh. benignæ.*

Gonorrhœa benigna admodum sanatu difficilis est, non propter ea quod quantitas & qualitas humorum serosorum corrigi non possit, sed quoniam partes solidæ

solidæ

solidæ admodum debilitatæ & ob structuram roborationem difficulter admittunt. Inde apparet, eam non ratione medelæ sed respectu materiæ excretæ benignam vocari. Nihilominus tamen adsunt exempla, medico partibus suis rite fungente, & ægroto salutaribus consiliis obediente, hunc morbum mitigatum, quid? quod sublatum esse. Quæ autem id efficere possint medicamenta, in tractatione therapeutica docebitur. Respondent vero felices effectus, quando liquoris crystallini ac tenuis una vel altera gutta, penis compressione facta, extillat. Gonorrhœa vero diu protracta gravibusque stipata symptomatibus spem curationis dubiam prorsus reddit, imo, febre lenta vel hectica illam excipiente, mortem arcessit. Gonorrhœa catarrhalis seu spuria, cujus in paragraphi secundi observatione mentionem fecimus, facilius est sanationis, & non statim sistenda, eliminat enim e corpore varia mala.

§. XII.

Virulenta sub initium levioris est periculi, quando mature ei occurritur, & æger ab impura Venere *Malignæ prognosis.* abstinens, facile sanatur. Diu vero protracta, vel in tempestive suppressa graves producit morbos v. causa sterilitatem, testiculum venereum, glandularum inguinalium bubones, verrucas ani, luem veneream, febres consumptorias, morte denique agmen claudente. Certis quoque observationibus compertum est, ex gonorrhœa virulenta repente cohibita ophthalmiam ortam fuisse, ubi pituita copiosa, crassa flavescens, humori purulento

B

rulento

rulento non dissimilis magno impetu erupit & ex oculo effluxit.

SCHOL. I. Ex his palam fit, quam male sibi consultant ægroti hunc morbum celantes, ob pudoris rationem.

SCHOL. II. Licet gonorrhœæ malignæ ut plurimum afferri possit medela, nihilominus tamen, malo inprimis adulto, vix omnis reliquæ auferri possunt, v. c. carunculæ in urethra relictæ, & miasma luis ossibus altius inhaerens, quam refractarium hoc sit, Medici hinc inde in praxi sua observant. Habent igitur, ut sibi caveant Veneris impuræ sectatores.

§. XIII.

*Therapia
benignæ
diætica.*

Multum omnino refert, quali diæta utantur gonorrhœa benigna laborantes. Est igitur eorum, ut a cibis lautis, salitis, aromaticis atque leguminosis abstineant. Nec ipsis conducunt potulenta spirituosæ, vinosa, sanguinem commoventia. Potius e re illorum deprehenditur diæta parcior (die Hunger-Cur) & evpepta, potus tenuis, temperans. Nocet eis motus nimius, nec non succussatorius v. c. equitatio, curru vectio; proficius autem placidus corporis motus reperitur. Aer frigidus magis iis expetendus quam calidus atque humidus. Ingrata animi pathemata, actiones naturales & vitales turbantia, sunt studiose fugienda. Sic quoque femellarum consortium iis non est seligendum, ne cupiditatum irritamenta ante oculos versentur. Hæc omnia probe si observantur, faciliori & feliciori eventu therapia pharmaceutica & chirurgica gaudebunt.

§. XIV.

§. XIV.

In gonorrhœa maligna legitimam diætam obser- *Malignæ cu-*
vandam esse, uno ore practici affirmant, & res ipsa lo- *ratio diæte-*
quitur. Sibi igitur caveant infecti a polyphagia, cibis *tica.*
valde nutrientibus, aromaticis, acribus, potulentis spi-
rituosis, commoventibus, utpote quibus symptomata
exacerbantur & impurus fluxus sisti potest. Hic po-
tius confert diæta parca, sicca, potus tenuis, paucus,
infusa antivenerea, de quibus infra. Aëri neque nimis
calido neque frigido sed temperato corpus exponen-
dum. Animi pathemata inprimis iracundia, quibus
humores fortius agitantur, etiam hic nocent. Scorta,
impuri miasmatis fontes, cane & angue pejus sunt fu-
gienda, imo a quovis coitu illis est abstinendum; alio-
quin enim irrita sunt quævis Medicorum conamina, &
operæ pretium non facient medicamenta ceteroquin
optima. Quies hoc morbo laborantibus magis com-
mendanda, quam fortior corporis motus.

SCHOL. Nota mihi sunt duo gonorrhœâ malignâ labo-
rantium exempla, quorum alter gelu exponens corpus,
alter spiritum vini ingurgitans, impuro fluxu hac ratio-
ne sufflaminato, testiculo venereo sunt mactati.

§. XV.

Benignæ sanatio anticatarrhalibus ad lympham *Benignæ cu-*
repurgandam, leniter evacuantibus ad serum impu- *ra pharma-*
rum e corpore exturbandum, & tonicis, elaterem glan- *ceutica.*
dularum devictum restituentibus, absolvitur. Cali-
dioribus subjectis sequens pulvis conducit:

℞. Succini præp.

C. C. præp.

B 2

Corall.

Corall. rubr. præp.

Offis Sep. præp. aa. drachm. j.

Nitri depur. drachm. fem.

M. F. pulvis, ter de die ad scrup. j. sumendus,
Iis quoque proficiunt emulsiones e. g.

℞. Sem. IV. frigid. drachm. j.

Agni cast.

Cannabin. aa. drachm. iß.

Fiat emulsio aqua Nymphææ

Endiviæ

Portulac.

Lactuc. aa. unc. iß.

Colaturæ addantur

Off. Sep. præp. drach. j.

Nitri dep. scrup. j.

Syrup. Papav. alb. unc. ß.

M. S. aliquoties de die ad duo cochlearia
sumenda emulsio. Vel si mavis, propina Mixturam
sequentem:

℞. Aquam Plantag.

Nymphææ

Rosar.

Lactucæ aa. unc. j.

Succini alb. præp.

Offis Sep. præp. aa. unc. ß.

Nitri depur. gr. xij.

Julep. rosar. unc. ß. F. Mixtura omni biho-
rio ad duo cochlear. sumenda. In torpidioribus
subjectis balsamica roborantia resinosa in forma Essen-
tiæ v. c.

℞.

℞. Effent. Succini

Bals. Peruv. aa. drach. j. ꝑ. M. dosis gutt.
xxx. lx. quater de die sumenda.

vel ℞. Eff. Cort. Cascarill.

Opobals. aa. drach. ij. M. dosis eadem.

Nec non sequens Mixtura operam non ludet:

℞. Eff. Opobals. drach. ij.

Succini drach. j.

TR. Terræ Catechu drach. ꝑ. M. dosis eadem.

Evacuationi feri impuri inserviunt pilulæ ad mentem
Stahlii præparatæ, vel sequens infusum laxans

℞. Rhabarb. Alexandr. unc. j.

Rad. Vincetox.

Pimp. alb.

Rasur ligni Sassafr. aa. unc. ꝑ.

Folior. Sennæ

Agaric. trochisc.

Fibrar. Elleb. nigr. aa. drachm. ij.

Cardamom.

Cinnamom. aa. drach. ij.

Passul. min. unc. iij.

Cremor. Tartari unc. ꝑ.

M. c. c. f. Spec. cum duabus vini mensuris infun-
dendæ, Dosis quarta pars mensuræ.

Quoniam etiam ratione potulenti prospiciendum est
ægrotis a medente, potus ordinarius confici potest ex
Radicibus Chinæ, Scorzonæræ, Liquiritiæ, Cichorii,
Rassura ligni Sassafras, Santali rubri, Lentisci, Passulis
minoribus, Corticæ Cinamomi, quæ omnia legitima
quantitate combinari & aqua fontana leniter decoqui

B 3

possunt,

possunt, cui decocto etiam vini Burgundiaci tertiam partem addere licet.

§. XVI.

*Benigna in
scorbuticis
curatio
pharmac.*

Benigna in scorbuticis obtingens, temperantibus, gelatinosis, mucilaginosi & subadstringentibus tollenda venit, & in illis conveniunt emulsiva ex Amygdal. dulc. Sem. IV. frigid. maj. Papavere, aquis frigidis, nec non gelatinæ, serum lactis dulce vel acidulum, aqua Selterana cum lacte, decoctum avenæ tenuius, item infusa ex speciebus sanguinem purificantibus inprimis rad. Alth. Saffapar. Scorzon. Bardan. Liquirit. Cichor. Conducunt quoque Pulveres absorbentes ex lapid. cancr. test. ovar. Conch. Corall. rubr. off. Sepiæ pp. Serum lactis tamarindinatum etiam operæ pretium hic facit, quod simul leniter laxantem exhibet effectum.

§. XVII.

*Malignæ
therapia
pharmaceu-
tica.*

Virulenta exposcit primum ut virulentum seminale liquidum ex urethræ canali expellatur, fluxusque proritetur. Dein ut partium exulceratio mundificetur. Tertio ut acceleretur consolidatio. Primæ indicationi satisfaciunt diuretica inprimis Terebinth. Balsam. Resinos. Proin Tinctura Antimonii acris cum TR. Bals. Peruv. vel Bals. de Copaiv. ad scrup. j. vel Ess. Succin. drach. iij. TR. Bals. Peruv. drach. j. nec non Ess. Succini & Tinctura Antimonii acris aa. dosis gutt. xxx. ter de die. Sic quoque conducunt Pilulæ hæ:

℞. Terebinth. coct. ℥ss.

Succini præp.

Resin. Guajac. aa. drach. iß.

Bals.

Bals. Peruv. scrup. j. M. f. pil. cum Elix. pro-
priet.

num. xxi. ex drach. s. mane propinandæ.

Eliminationi materiæ malignæ egregie quoque infer-
viunt pilulæ ex sequentibus compositæ

℞. Gummi Ammon. depur.

Sagapen.

Extract. Helleb. nigr.

Trochisc. Alhandal.

Mercur. dulc. rite pp.

Resin. Ligni Guajac.

Bals. de Copaiv. aa. drachm. j. M. f. l. a. pil.

Dosis scrup. j. mane propinand.

Diebus laxationi constitutis etiam sequens Mixtura diu-
retica sumi potest.

℞. Tincturæ Antimonii acris

Salis Tart.

Essent. Pimp. alb.

Succin.

Lignorum aa. drachm. is.

Bals. de Copaiv. drach j. M. dosis gutt. xxx.

horis pomeridianis, & quidem congruo

infuso propinari potest v. c.

℞. Rad. Sassa.

Chin.

Bardan.

Polypod. aa. unc. j.

Pimp. alb. drachm. vj.

Herb. Saponar.

Vinc. per vinc. aa. Mij.

Ligni

Ligni Juniper.

Pini aa. unc. j.

Cort. Ligni Sassafr. drach. vj.

Sem. Fœnic. unc. β . M. c. c & unc. β .

cum Mj. aquæ font. coque.

§. XVIII.

*Ulterior
therapia
explanatio.*

Hæc jam allata remedia etiam alteram indicationem, nimirum partium exulceratarum mundificationem complent, quibus adjungere licet purgantia mercurialia e. g.

Rz. Extract. Elleb. nigr.

Panchym, Croll. aa. drachm. j.

Resin. Jalapp.

Cinnab. nat.

Merc. dulc. aa. scrup. ij.

Olei Lign. Sassafr. gutt. viij. M. f. l. a. pil. num. xx.

ex drachm. β . quarum dosis xi- xv.

Reliqua mundificatio externis remediis obtinetur, quæ chirurgica tractatio proponet.

Obs. I. Batavi Essentia cantharid. vino diluta utuntur, sed est remedium renibus & vesicæ insidiosum, mictumque cruentum proritare consuevit.

Obs. II. Purgantia non statim ab initio fluxus virulenti, sed post aliquot dierum decursum, quando scil. diuretica, Balsam. Resinos. præmissa fuerunt, exhibenda sunt; secus si feceris, materiæ cum graviore symptomatum insultu retrocessio metuenda.

§. XIX.

*Continuatio
therap.
pharm.*

Fluxu virulento in benignum mutato, quod ex paucitate & legitimo seminis profluentis colore colligere

gere est, ab ulteriore expulsionem desistendum, totaque sanatio absolvenda. Hic os Sepiæ per aliquot dies secure propinatur. Si vero hoc remedium fluxum sistere nequit, Pilulæ Blancardi in usum vocandæ sunt:

℞. Gummi Elemi,
 Mastich. aa. drach. ij.
 Terræ Catechu scrup. j. f. l. a.
 pil. cum Bals. Indico, dos. ʒβ.

raro autem cohibitio talis directa necessaria est. Reliqua hic observanda in chirurgica tractatione occurrunt.

SCHOL. Per totam hujus morbi curationem lenior diaphoresis commendanda, quæ per lignorum decocta promovetur, conf. §. XVII.

§. XX.

Si febris symptomatica supervenit a fortioribus *Febris* purgantibus, adstringentibusque plane est abstinendum, & eorum loco Nitrosa, Absorbentia, Bezoardica, *Sympt. tra-* *etatio.* aliaque remedia, quæ inflammationi & feбри resistunt, ordinanda.

§. XXI.

Gonorrhœæ malignæ inveteratæ quando super- *Quid faci-* venit venerea lues, tunc decoctis lignorum & Mercurialium usu, ad Medicorum rationalium methodum, *endum, su-* *perveniente* debellatur. *lue.*

§. XXII.

Si bubones intumescunt, virulentus humor *Quid fiat de* *bubonibus.* celerius est suppressus; hoc vitium si recens est, ubi re- tenta materia resolvi & impuri humoris profluvium

C

revo-

revocari potest, tollitur: id vero efficiunt emulsiones, si amygdalæ, pineæ, papaveris aliaque semina in mortario ex aquis diureticis conteruntur, ac liquori per linteum transmissio pauciores balsami Peruviani guttulæ adjiciuntur. Quando autem inflammationem adesse dolor & urinæ difficultas significant, alienum est balsamum & utilius nitrum. Sulphur Antimonii auratum ultimæ præcipitationis etiam fluxum cohibitum egregie promovet.

§. XXIII.

*Remedia
nociva.*

In tota hujus morbi tractatione saturnina, adstringentia, aluminosa, vitriolata non sunt porrigenda; quia fluxum cohibent, unde bubonum & luis fit proventus, quid? quod colicam convulsivam, alvi pervicacissimam obstructionem, appetitus prostrationem, febrem lentam & hæticam in scenam producere queunt.

§. XXIV.

*Methodus
admodum
secura in-
terna.*

Sub fine tractationis therapeuticæ internæ, bigam methodorum non adeo tritam proferre ac depromere libet. Ad extirpandam gonorrhœam malignam imo ipsam luem veneream medicamen tutissimum est Mercurius diaphoreticus fixus solaris, qui sequenti modo paratur: ℞. Mercurii vivi per corium probe depurati libram β, cui vitreæ indito cucurbitæ aqua fortis ad trium digitorum eminentiam affundatur, & ignis intensioris gradu, tribus vicibus reiterando, abstrahatur, donec rubicundum colorem exuat omnem, & materia flavescat, nec hydrargyros in forma naturali
con.

conspiciatur. Postea auffundatur spiritus vini rectificatissimus ad sex digitorum eminentiam fiatque abstractio ter vel quatuor, novam semper affundendo spiritus vini rectificatissimi quantitatem; quo facto Mercurius non tantum corrosivitate amittet, sed & carbonibus ignitis impositus fixioris evadet naturæ. Mercurius hicce cum auri foliis tritus, ad reliquias paucas corrosivi salis cicurandas, nec non aqua edulcoratus præstantissimæ est virtutis in debellandis variis chronicis morbis rebellibus, imprimis pertractato, si cum prudentia debitaque dosi & decenti regimine offertur; exhibetur autem ad granum unum vel alterum cum electuario diascordii Fracastorii in forma pilular., singuloque mane propinatur cum decocti antiveneri cyatho. Mercurio hocce luem veneream sanatam esse, exhibet b. HOFFMANNVS in notis ad *Potterium* p. 123.

§. XXV.

Altera methodus rarior gonorrhœam imo ipsam luem sine salivatione auferendi duplici curatione ab- solvitur, quarum utraque dies durat quatuordecim, priori periodo ter pilulæ mercuriales exhibentur legitima compositione & recta dosi. Diebus intermediis species mundificantes & Mixtura resolvens convenientes bis de die in usam vocantur. Si dolor urget; noctu pulvis temperans associatur. Posterior periodus singulo mane scrupulum pilularum balsamicarum ad mentem Stahlî præparatarum & interdium species atque mixturam, sub vespera autem grana xij. pulveris resolventis exposcit, qui talis esse potest:

C 2

Rz.

*Methodus
altera re-
centior in-
terna.*

℞. Mercurii dulc. rite præp. gr. iij.
Conch. præp. scrup. β. M.

sic alternatim methodus adhibetur, usque dum ad sanitatem æger perducatur. Ordinarie X septimanarum vel trium mensium spatium ad absolutionem requiritur.

SCHOL. I. Bubones, si adsunt, discutuntur per unguentum Paracelsi, & materia per gonorrhœam educitur. Penis si tumet; sacculi discutientes in vino cocti applicantur. Exulcerationes ejus decocto abstergente mundificantur & ☉ Myrrhæ cum oleo ovorum mixto illinuntur.

SCHOL. II. Salivatione proventum minitante, seu imminente, gingiva gargarismate adstringente roboratur; interne laxantia & diaphoretica usurpantur, pax illico est, & pulveres resolventes caute continuare licet. His vestigiis si quis insistere voluerit, operam non perdet, sed felicem manere poterit eventum.

SCHOL. III. Antivenerea calida omnia cum regimine sudorifero virus in massam sanguinis ducunt, ergo sunt vitanda.

§. XXVI.

Quamvis de medicamentis internis plura in medium afferri possint, attamen hæc sufficere credimus, si modo externe officio suo chirurgus non desit. Exempla dantur, ubi improvido injectionum sive valde irritantium sive adstringentium usu, res in pejus abiit, & ægrotus sperati levaminis atque auxilii loco, maximis maectatus fuit malis. Igitur supervacaneum non erit, si utriusque gonorrhœæ tractationem chirurgicam subjungimus.

§. XXVIII.

*Transitus
ad chirurgica.*

§. XXVII.

Dubitant nonnulli, an in gonorrhœa benigna venæsectio admitti possit? antequam ad hanc quæstionem respondemus, affirmamus dari gonorrhœa laborantes plethoricos, dari alios in quibus vasorum laxitas, vel humorum qualitas culpæ proximæ sunt, ceteroquin satis emaciatos atque viribus defectos. Jam concedimus, ut plethorici gonorrhœa benigna laborantes sanguinem mittant, debilibus vero ac viribus defectis vena non est secanda. His enim vires potius refocillandæ, illi vero cum sanguinis nimia quantitate simul humores serosos peccantes partim emittunt, ut partes solidæ majus robur accipiant & fluidorum appulsus versus genitalia imminuatur.

*Benignæ
tractatio
chirurgica.*

§. XXVIII.

Si gonorrhœa benigna jam altiores egit radices; ad injectiones tamquam ad facram anchoram fugiendum est, quæ vel ductuum orificia aperta constringendo, vel læsa claudendo, effluxum liquoris feminalis sustinet e. g.

*De injectio-
nibus.*

℞. Aquæ calcis viv.

Plantaginis

Fol. Querni. aa. unc. j.

Tut. præp.

Bol. Armen. præp. aa. drachm. j.

Croci Martis adstring. scrup. j.

M. Fiat injectio.

Obs. Ejusmodi injectiones eo magis obtinent, si vitium non tam infundis quam in solidis hæret. Nonnulli, ac-

cedente erosione, his injectionibus unum alterumve granum mercurii præcipitati rubri addere suadent.

§. XXIX.

*De inun-
ctionibus.*

Quoniam vis unita major, & roboratio affectæ partis factu difficilis; perinæi & pubis regio inungi potest sale volatili oleoso Sylvii vel balsamo vitæ Hoffmanni, aut aqua Rosarum vel florum anthos cum oleis aromaticis, ac aliis consimilibus.

§. XXX.

De epithem.

Roborationis scopo epithemata nervina noctu regioni pubis imponi queunt, v. c.

℞. Herb. Meliss.

Menthæ

Basilic.

Flor. Rosar. rubr.

Balaust. aa. Mj.

Cort. Granat.

Caryophyll. aromat.

Nucis Moschat.

Cardamom.

Mastich. aa. unc. ʒ. M. fiant species sacco-
lo inclusæ cum vino rubro coquendæ.

§. XXXI.

*De balneis
roboranti-
bus.*

Ex ipsius morbi indole, nimirum partium relaxa-
tione elucet, balnea roborantia non contemnendi esse
usus, huc spectant balnea frigida, vel aquæ martiales
verbi gratia Lauchstadiensis, Pymontanæ &c.

§. XXXII.

§. XXXII.

Optimum auxilium si ullibi, certe hic manus *Maligna*
 chirurgica præstat, modo secundum leges rationales *tract. chi-*
 id fiat; ne ergo contra has quis impingat, cautio est. *rurgica.*
 Venæsectio in genorrhœa maligna non habet locum;
 nam emissa humorum portione, qualitas reliquorum
 non corrigitur, sed potius est verendum, ne fluxus
 impurus supprimatur, & miasma venereum massam
 sanguineam ingrediatur, id quod sæpe fieri affolet,
 si ægrotantes vel rationales Medicos non consulunt,
 vel mali medici atque ejusdem indolis chirurgi ægro-
 tantibus pessime consulunt.

§. XXXIII.

Injectiones syringa perficiendæ vel ad profluvium *De injectio-*
 resuscitandum, vel ad mundificationem & consolida- *nibus.*
 tionem adhibentur. Si fluxus impurus suppressus est;
 protinus injectione ex lacte tepido vel oleo amygdala-
 rum dulcium vel liliorum alborum revocandus. Mun-
 dificationi inservit Essentia succini & Myrrhæ aa. vel de-
 coctum myrrhæ ex aqua, alii Mercurii dulc. drachmas
 ij. cum decocti theæ libra j. coctas commendant. Utri-
 que indicationi inservit lac cum melle rosato. Mun-
 dificationem atque consolidationem promovet oleum
 Myrrhæ per deliquium cum oleo ovorum.

SCHOL. I. Injectio non nisi fluxu impuro prius correcto,
 adhibenda; ne materiæ sordidæ fiat relapsus, luis vene-
 reæ metu. Contra hanc cautelam nonnulli chirurgo-
 rum, parum cauti, sæpe numero impingere consueve-
 runt.

SCHOL. II. Irritum est cœptum illorum, qui balsamica
 penetrantiora externe commendant; æger enim illo-
 rum

rum usu in ardorem ac anxiam dolorum exacerbationem conjicitur, vehementes etiam tumores penis, brachii infantilis instar, contingunt. De temperatioribus balsamicis idem affirmari nequit.

§. XXXIV.

*Methodus
confectario-
rum mali-
gnæ chirur-
gica.*

Quando urethra exulcerata & succus degener se ei apponit, proveniunt urinam valde remorantes carunculæ; tunc sola Essentia opobalsami cum spiritu vini extracta, itemque balsamum vitæ Hoffmanni cum tribus aquæ sclopetariæ partibus dilutum aliquoties de die injici potest. Vel carunculæ tales consumuntur, quando canalis argenteus, plumaceolum septico imbutum villisque præditum tenens, stilo urethræ immittitur, illudque eodem stilo protruditur ac in urinario relinquatur meatu, canali rursus extracto; tale plumaceolum septica vi imbutum, sine magno incommodo, carunculam successive consumet. Quodsi vero potior urethræ pars undique innumeris obsessa fuerit carunculis, ita ut lotium prorsus emitti non possit; tum, omnibus incassum adhibitis remediis, specillum excavatum in urethram, quantum fieri poterit, ad ipsam penis radicem intrudendum, & scalpello super specillum ducto, subtus corpus nervosum alterutrum, meatus urinarius incidendus est, & cultello callositates consumendæ veniunt; postea acubus argenteis parvis vulnus, futuram faciendo divisam, consuendum.

SCHOL. Cavendum est, ne corrosiva aciora hic adhibeantur, utpote quibus quandoque non tantum urethræ substantia plane consumitur, sed & gangræna excitatur, quibus dysuria gravis, febris, imo mors accedere solet. Hinc in applicatione septici non modo Arsenicum, Mercurius subl. corrosiv. &c. vitanda sunt, sed probe attendendum

dendum est, ne sanam septica tangant partem. Hinc aliqui pro urethræ defensione, applicato septico, lenientem solent infundere liquorem, ut decoctum avenaceum tenuè, lac tepidum cum croco, oleum amygdalarum dulcium. Methodus septicum applicandi a nobis descripta omnino tutissima erit; applicamus vero Mercurium præcipitatum rubrum cum paucò aluminis usti & unguenti pomati.

Observatio: In sexu sequiore etiam interdum carunculæ observantur, non urethram sed uteri vaginam obsidentes, quarum præsentiam penis denegatus, vel per difficilis ejus introitus arguit; quid autem in harum sanatione observandum sit, jam docere nostrum non est.

§. XXXV.

Ex tractatione nostra satis apparet, quantum laboris Medico & quantum doloris atque damni sibi *Tractationis clausula.* scortatores facebant. Utinam ipsis mens melior datur, & ex aliorum periculis cautius mercari discant. Nos vero doctrina hac vberius enucleata, officio speciminis inauguralis satisfecisse credimus, & tibi B. L. dicimus vale!



D

PRÆ.

PRÆNOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

JO. BALTHAS. MUSCVLO

S. P. D.

JOAN. GVIL. BAVMER,

PHIL. ET MEDIC. DOCTOR.

Officio meo deessem, nisi secundis Tuis, Amice suavissime, ex animo gauderem. Eo majori jure solido gaudio affici possum, quo magis in certis habeo, res Tuas in omne tempus stabilitas esse. Ratio cui hæc mea spes superstructa, hæc est: a Deo si discesseris, spem salutis in Te habes. Quia veteres usu edocti, suos cuique mores suam fingere fortunam, recte judicarunt; non potes non fortuna tua esse Faber. Duo potissimum, conspirante gratia divina, rebus humanis salutem asferre queunt, nimirum scientia indivulso nexu cum virtute conjuncta. Utramque in Te esse sitam, dudum intellexi. In addiscenda arte salutari sub iisdem signis militavimus; adeoque Testis oculatus sui studii & industriae a Te in exhaurienda arte medica expromptæ. Examina cum Laude exantlata, & dissertatio Tua de Morbo non minimam Medici Prudentiam requirente doctè conscripta idem evincunt. Te præterea antiqua esse fide atque virtute neminem, cui notus es, fugit. Deo & his, quæ nec auro nec gemmis nec purpura venalia sunt, summamque habent dignitatem, fretum esse, multo præstantius est, quam rerum fluxarum blandimentis. Age igitur, ut, Testimoniis Laureatis ex Alma nostra remissus, Te porro præbeas eundem, qui prudenter ac sincere in medicina facienda versatur. Hac via incedens, egrotis auxilio saluberrimo, Deo acceptus, & amicis, in quorum numero meum nomen semper profitebor, pergratus eris. Scio equidem, Te hæctenus ventis sæpe usum esse adversis, sed jam providentia divina concursu declarat, Præmia Laborum atque virtutis adesse Tibi jam in portu navigaturo. Dabam IV. Non. April. M DCC LI.

PRÆ-

PRÆNOBILISSIMO NEC NON DOCTISSIMO
DOMINO DOCTORANDO

JO. BALTHAS. MUSCVLO,

OMNIGENAM SALVTEM APPRECATVR

JOANNES JODOCVS KÜCKIVS,
MEDIC. DOCTOR.

*Quanta nobis semper fuerit conspirans & consentiens voluntas,
Honoratissime Amice, ipse nosti. Noli igitur, me amplificata
tua applaudere dignitati, mirari; nil enim præter debitum in hac
re ago. Scio Te in arte medica optime versatum, præsentissimisque
remediis esse instructum; nullus igitur dubito, quin iis qui adversa
valetudine premuntur, exoptatissimo auxilio, & reipublica perutile
membrum esse possis. Horum certissimus, Deum, cui vias tuas man-
dare soles, precor, ut conaminibus tuis, ejus nomine susceptis, adspi-
ret omnibus, sic illius ope fultus, multo majora poteris præstare iis,
qui Manicheismum medicum profitentes, non nisi propriis viribus
nituntur. Fac porro, ut, quemadmodum semper amicus præcipuus
mibi fuisti, in numero aliquo apud Te sit, is qui Te semper carissi-
mum habeat.*

Das Sprichwort ist fast abgekomen,
Das sonst die Vorkwelt eingenommen:
Galen schenckt Aerzten Gut und Geld,
Der Patienten größte Menge
Zieht jetzt das Arztlohn in die Enge,
Das ihre karge Hand noch länger vorenthält.

Doch hat Hygea ihre Knechte
Mit mehr als einem Vorzugsrechte,
Mit Ehre, Schmuck und Ruhm bedacht.
So vielen Menschen auf der Erden
In Noth und Kranckheit nutzbar werden,
Ist schon ein süßer Lohn, der Aerzte glücklich macht.

Freund,

Freund, Dessen Einsicht, Kunst und Wissen,
Bey so verschiednen Hindernissen
Gleichwohl der Meditrine dient;
Du hast bereits durch viele Proben
Dir Zweig und Blätter aufgehoben,
Und selbst den Kranz gemacht, der um die Scheitel grünt.

Bleib ferner ein bewährt Exempel,
Daß noch Hygea ihren Tempel
Mit Männern voll Erfahrung schmückt;
Und, daß der Aerzte Kunst und Mühe
Den schönsten Vortheil nach sich ziehe;
Wenn gleich Galen nicht mehr, wie sonst, den Beutel spickt.

Johann Georg Engelschall,
Med. Pract. & Senator civitatis
Querfurth,



Path. spec. 2054^t

~~Anat. B~~

